

97

Regno ejus statuto inter eos tempore discederent. Ipse verò inde concito gradu in Aliamiam se recepit, ibique per plures dies jacuit agrotus.

DCCCLXXXVII.

HYems aspera & solito prolixior, boum quoque & ovium pestilentia supra modum grassata est in Francia, ita ut penè nulla ejusdem generis animalia relinquerentur. Imperator cum suis colloquium habuit in Weiblingon, qui priscis temporibus, idest, ex quo Rex in Alamannia constitutus est, quemdam de suis ex infimo genere natum, nomine Liutvardum, supra omnes, qui erant in Regno suo, exaltavit, ita ut Aman, cujus mentio facta est in Libro Hester, & dignitate præcelleret. Ille enim post Regem Aluerum erat secundus, iste verò prior Imperatore, & plus quam Imperator ab omnibus honorabatur & timebatur. Nam nobilissimorum filias in Alamannia & Italia nullo contradicente rapuit, suisque propinquis nuptum dedit. Qui etiam ad tantam devolutus est stultitiam, immo vesaniam, ut Monasterium puellarum in Brixia Civitate situm invaderet, & per quosdam amicos suos filiam Unruochi Comitis, propinquam Imperatoris, vi raperet. suoque nepoti in conjugium daret. Sanctimoniales verò ejusdem loci ad preces conversæ orabant Dominum, ut contumeliam loco sancto illatam vindicaret; quarum preces illico exaudita sunt. Nam is, qui puellam conjugii more sibi fociare disposuit, eadem nocte Dei judicio interiit, & puella mansit intacta. Quod cuidam Sanctimoniali è supradicto Monasterio revelatum est, & illa ceteris indicavit. Cum autem memoratus Liutvard talia in Regno Imperatoris per plures annos ageretur, tandem cenodoxia inflatus, & philargyria cæcatus, Fidem Catholicam pervertere, & Redemptori nostro detrahere laborabat, dicens, eum unum esse unitate substantiæ, non personæ; cum sancta Ecclesia credat, & confiteatur, eum in duabus substantiis unam habere personam; quod quicumque negaverit, profectò blasphematur eum, qui venit querere & salvare quod perierat. Nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium; nisi esset homo verus, non præberet exemplum. Sed idem Rex Regum hoc anno concitavit animos Imperatoris in blasphemum, qui habita cum suis colloquutione in loco, qui vocatur (16) Kirhheim, eum deposuit, ne esset (17) Archi-Cappellanus, multisque beneficiis ab eo sublatis, ut hæreticum & omnibus odiosum cum dedecore de Palatio expulit: At ille in Bajoariam ad Arnulfum se contulit, & cum eo machinari studuit, qualiter Imperatorem Regno privaret: quod & factum est. Nam cum idem Imperator in villa Tribure confedisset, suorum undique opperients adventum, Arnolfus cum manu valida Noricorum & Sclavorum supervenit, & ei molestus efficitur. Nam omnes Optimates Francorum, qui con-

(16) Kirhheim pro Kirchheim; in antiquis enim ævi Caroli Magni Codicibus MStis sola litera H nonnunquam idem valet atque CH: ut Heimrih pro Heimrich ih pro ich, Almahtig pro Almahtrig &c.

(17) Hoc est Archi-Cancellarius.

(18) Vide Card. Baron. Annal. Eccl. To. IV. ad ann. 370.

(19) Del Origen y Principio de la lengua Castellana o Romana, que oi se usa en España.

Atra Imperatorem conspiraverant, ad se venientes in suum suscepit Dominium; venire nolentes beneficiis privavit, nihilque Imperatori, nisi vilissimas ad servendum reliquit personas. Cui Imperator lignum Sanctæ Crucis, in quo prius ei fidem se servaturum juraverat, per Liutbertum Archiepiscopum destinavit, ut sacramentorum suorum non immemor tam ferociter & barbarè contra eum non faceret. Quo viso lacrymas fudisse perhibetur. Tamen disposito, prout voluit, Regno, in Bajoariam se recepit. Imperator verò cum paucis, qui secum erant, in Alamanniam repedavit. Nordmanni, audita Francorum dissensione, & Imperatoris eorum abiectione, plurima loca, quæ prius minimè tetigerant, vastaverunt. Ad Remensem quoque urbem venisse referuntur; sed Deus per merita Sancti Remigii, & Monasterium extra Civitatem positum, & ipsam Civitatem nebula densissima per trium dierum spatia circumdedit, ita ut neutrum invenire, nec saltem videre potuissent. Unde mente consternati, pariterque confusi, discesserunt.

Idem Lambecius *ibid.* pag. 364. n. 27.

DECIMUS quintus Codex, ad vitam & res gestas Imperatoris Caroli Magni pertinet, de quo aliàs prolixius acturus sum, est membranaceus in folio, & inter MStos Codices Historicos Latinos ducentessimus sexagesimus quintus. Continet is incerti cujusdam Autoris Annales Francorum ab anno incarnationis Dominicæ septingentesimo decimo quarto, usque ad annum Imperatoris Ludovici Pii quartum five annum Christi octingentesimum decimum septimum. Scriptus est hic Codex antiquis illis literis Gothicis, sive Toletanis, ab Ulphila Gothorum Episcopo, qui circa (18) annum Christi CCCLXX. temporibus Imp. Valentiniani & Valentis floruit, inventis, & in Hispania olim præcipue usitatis; quarum figuram si quis nosse desideret, consulat Bonaventuræ Vulcanii libellum, de literis & lingua Getarum sive Gothorum inscriptum, & Lugduni Batavorum typis Francisci Raphelengii An. 1597. in octavo editum; ut & Bernardi Aldrete, Canonici Cordubensis, eruditum opus (19) de origine linguæ Castellanae sive Castellanae, eadem linguâ compositum, & Romæ An. 1606. impellum in quarto: cujus Operis Libro secundo, & quidem capite decimo octavo, pag. 251. & 254. insignia duo exstant specimina antiquæ istius Gothicæ sive Toletanæ Scripturæ, quæ non solum cum isto Codice, de quo in præfens agitur, verum etiam cum aliis pluribus ejusdem generis Codicibus MStis, quæ in Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ adservantur, optimè conveniunt. Ceterum quod ad ipsos Annales, qui jam memorato Codice continentur, attinet, certò constat, Autorem eorum diversum esse ab altero illo, qui Annales itidem ab anno Christi DCCXIV. incipientes à Petro Pithæo An. 1588. Lutetiæ Parisiorum in octavo (20)

pri-

(20) Edidit eisdem Annales secundum Marquardus Freherus Tomo primo Scripiorum Rerum Germanicarum, ubi eos appellat Annales Francorum Fuldenfes, eo quod in Fuldensi Cœnobio cepti & continuati sint. Quamvis autem Freheriana illa editio passim auctior sit, quam Pithæana, & pertingat inclusive usque ad annum DCCCC. multis tamen locis mendosa & corrupta est, & æque ac Pithæana beneficio Codicis MSti Cæsarei inter Histori-

cqs